

PA
4230
M4F75

3. 8. 1924 INDEX
L E C T I O N U M

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXIV—V

A DIE XV. M. OCTOBRIS


PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

DE NECYOMANTIA
DIALOGO LUCIANI GENUINO

F. V. FRITZSCHUS

PRÆFATUS EST.

LITERIS ADLERIANIS.



Qui multi nuper varia Odysseae carmina distinguere coeperunt, eorum nullus ita ut rei magnitudo exigebat Neejian pertractavit. Fuerunt tamen, qui etiam hanc partem inchoarent, G. G. Nitzschius, A. Herrmannus, F. Lauer, H. Brausewetter, novissime autem A. Köchlyus (De Odysseae Carmin. III p. 19 sqq.) et ita inchoarent, ut sic quoque operae pretium fecisse videantur. Nam plerique eorum id studuerunt, primum ut Neejian, quae gravius quam multi alii Odysseae loci interpolata est, hisce interpolationibus liberarent vulgataeque Neejian genuinam opponerent, quae ambitu multo breviora fuerat, tum ut omnem istam Neejian e reliquae Odysseae compage prorsus tollendam esse docerent, quorum hoc et ipsum multis facile probabitur. Nam (id quod e scholio Plautino et e scriptore graeco ap. Cramerum Anecd. Paris. I p. 12 didicimus) sparsam prius Homeri poesin Hipparchi jussu quatuor poetae coagmentarunt, unus nomine incerto, praeterea Zopyrus Heracleota, Orpheus Crotoniata et Onomacritus Atheniensis. Quorum duo priores ipsi quoque poetae Orphici fuerant, Onomacritus vero, de quo homine multi multa (ut Lobeckius in Aglaoph. p. 331 sqq.) dixerunt, non solum Orphica scripserat et diffinerat, verum etiam Homerum (velut in hac ipsa Neejia Od. 7, 602—604 versus tres, non unum v. 604) et Musaeum certo interpolarat, idemque Dionysio orgia condiderat (judice Lobeckio in Agl. p. 692 sqq.), denique hoc imprimis egerat, ut Graecorum animos cultu deorum fanatico et dira superstitione impleret. Quinque certissimum sit totas adeo aliorum epicorum, non Homeri rhapsodias ab his quatuorviris et in Iliadem et Odysseam non sine fraude illatas esse: nihil prius nihil antiquius quam caeteri tum quo erat vel furore vel furoris simulatione Onomacritus habuisse videtur, quam ut magica Circae pocula et Ulixis evocationem manuum ad Homerum auctorem transferret summaque Homeri auctoritate magiae et psychomantiae ritus sanciret. Et profecto haec nefaria fraus Onomacrito e voto sententiaque cessit usque eo, ut Graeci Neejian ab ipso Homero scriptam esse rati quos dixi ritus suscipere non dubitarent. Ceterum Iliadem magorum artibus carere, Odysseam autem eisdem abundare jam veteres praeclare mirati sunt apud Plinium N. H. XXX, 1 § 2, qui Circae imprimis et inferum evocationi Iliadis silentium recte opposuit. Sed magicae vanitates quum omnino in Persis ortae sunt a Zoroastre, ut Plinio l. l. teste inter auctores convenit, tum neeyomantiam quoque a Persis primum allatam esse certissimi scriptores testantur, Varro ap. Augustinum De Civ. Dei VII, 35, Strabo XVI, 2 p. 1106, A, Lucianus in Neejom. c. 6, ubi hunc magum et Zoroastris *δαίδοξορ* fuisse dixit et nomen magi addidit Persicam. Huc Aeschylum adice, in cuius tragicae Persis v. 631 sqq. a Persarum senum choro Darii umbra evocata est. Magiam igitur, quae proprie dicitur, ad Graecos antiquitus a Persis allatam esse certo constat neque id quidem Lobeckius (in Aglaoph. p. 752) negavit. Quanquam certas magiae partes non adeo antiquas fuisse concedendum est. Ita Favorinus ap. A. Gellium N. A. XIV, 1. Chaldaeorum disciplinam tantae vetustatis esse negat, quantae eam ipsi videri velint, quae recte dicta esse Lobeckius (Agl. p. 426) iudicavit. Sed quod ad neeyomantiam pertinet, haec quidem et Graecis jam paullo ante Onomacritum cognita erat et omnium consensione a Persis erat profecta. Neque unam magicam factionem Plinius ibidem (XXX, 1 § 2 fin.) fuisse docet, sed plures, Persicam, Aegyptiacam, Cypriam, quae res similiter in neeyomantiam transferri recte potest.

Non quo magni referat, utrum mortuorum manes, ut plerumque accidit, in has terras evocentur, an magus ut in Luciani Necyomantia vivus ad inferos descendat et inde salvus revertatur. Sed tamen ut in re nugatoria, quum mendacium mendacio, glaucomate glaucoma tegi oporteret, ritus et caerimoniae magnopere diversa fuerunt. Nam Ulixi in Od. *ζ*, 32 sqq. sanguine victimarum ita opus fuit, ut tamen oves mactaret, quarum cruorem umbra hauriret Tiresiae. At alii barbara et inhumani consuetudine retenta in hoc divinandu genere tam foedi fuerunt tanque sanguinolenti, ut pueros occiderent, quorum extis ad sacra sua abuterentur. Vide exempli causa Cicronem in P. Vatinius c. 6: quum inferorum animas elicere, quum puerorum extis deos manes mactare soleas. Et Plinius quidem (N. H. XXX, 1 § 3) DCLVII demum anno urbis senatus consultum dicit factum esse, ne homo immolaretur palamque in illud tempus sacrum fuisse prodigiosam celebrationem. Sed ne postea quidem magi isti puerorum vitae semper pepercissent, ut ex Horatio, Juvenali, Lucano, Heliodoro, Ammiano Marcellino aliisque intelligi potest. Jam Pythagorae liber gravi philosopho dignus *Κατάβασις εἰς ᾗδου* (de quo vide Lobeckium in Aglaoph. p. 244), in quo libro Homeri et Hesiodi animas eruciari viderat „ἀνθ' ὧν εἶπον περὶ θεῶν“ speciose ab criticis Hieronymo Rhodio tributus est. Tum de Orphei libro *Κατάβασις εἰς ᾗδου* omnino varia traduntur. Clemens enim Alex. Strom. I p. 353 ed. Sylb. hunc librum ab aliis Prodicio Samio et ab Epigene Cereopi Pythagoreo adsignatum esse tradit, (et de Cercope antea Cicero De Nat. D. I, 38 idem fere prodidit) Suidas autem s. *Ῥομφαίς* ab aliis Herodico (Prodicio) Perinthio, ab aliis Orpheo Camarinaeo. In hac dissensione certe cautum est, ne quis ab hoc Cercope ad antiquum illum epicum, Cercopem Milesium aberraret atque huic vel Orphei librum *Κατάβασις* vel adeo Homeri Necyian tributum fuisse fingat. Et quamvis Orphicus Cercops Pythagoreus fuisse dicatur, tamen ne hoc quidem fieri posse videtur, ut huic Cercopi Pythagorae *Κατάβασις*, qui liber nihil habuerat generis Orphici, imputetur. Nam alioqui Pythagoras postea non minus quam mythicus iste Orpheus in praestigiatorum atque in magum transformatus est, de qua re et Lucianus in Alex. c. 4 dixit et Lobeckius in Aglaoph. p. 235 sqq. pluribus exposuit. Hinc nonnulli auctore Varrone ap. Augustin. De Civ. Dei VII, 35 necromantia Pythagoram usum fuisse commemorant, hinc unus alterve psychomantis in Pythagoreorum numero habetur. Quodsi de isto Orphei libro *Κατάβασις* huriolari necesse est, commode saltem finxeris, per Orpheum ibi (sicut ap. Ovidium in Metam. X, 51 sqq.) Eurydicen uxorem ab inferis paene reductam fuisse. Itaque neuter neque Pythagoras neque Orpheus in suo „Descensu ab Homerica Necyia suspensi fuisse videntur, ad quam eandem se more suo partim Vergilius adcommo-
davit (Aeneid. VI, 237 sqq.), ubi Aeneas Sibyllae monitu descendit ad inferos Anchisemque patrem consultit. Tragicis autem, dum iocum incolunt gravitate tentant, interdum ut eam rem descensu ad inferos rebusque magicis usi sunt, siquidem et Aeschyli *Κίρκη* ejusdemque *Σίσυφος δραπέτης* et Sophoclis *Ἡοακλῆς ἐπὶ Τυρῶν* dramata fuerunt satyrica. Quid, quod Aristophanes ipsam Homerica Necyian ridere videtur in Avibus v. 1553 sqq. loco difficili, quem ad Arist. Thesmoph. p. 315 expedire conatus sum. Contra *Ψυχαγωγὸς* Aeschyli, in quibus Homeri Necyian secutus erat, haud dubie tragoedia fuerat, sicut ad Arist. Ran. v. 1296 p. 381 demonstravi. Sciebam jam tum fuisse, qui *Ψυχαγωγὸς* ob unicum hunc versum (ap. schol. ad Odys. *ζ*, 134): „ὄρθω σε πλῆξει νεδύος γλόσσων“ temere pro dramate haberet satyrico. At quum in hoc genere choros semper fere ipsi satyri canerent, in Psychagogis chorus e laevis Averni accolis, qui *ψυχομένους* erant, constiterat. Res ex eo versu intelligitur, quem chorus ipse ecinerat Mercurium infernum (*τὸν ψυχαγωγόν*) quasi proavum suum venerans, ap. Arist. Ran. v. 1266: „Ἐομᾶν μὲν πρόγονον πύουεν γένος οἱ περὶ λίμνας,“ cum quo l. conferre licet Aeschyleum Pers. v. 628—682, in quo et ipso chorus psychomantia utitur. In Psychagogis primum (uti Valekenarius in Diatrib. p. 286, e vidit) Tiresias Ulixi mortis genus ab Telegonō filio imminentis praedicebat. Deinde (ut jam olim l. l. p. 381 iudicavi) Psychagogos veri simile est horribilem quandam Aeschyli tragoediam fuisse Acheronta moventis nec valde absimilem eis quae exstant Eumenidibus. Sed ut haec tragoedia Athenis data erat, ita plurimis annis post regnante jam Ptolemaeo Lagi f. id est non ante a. 306 (Ol. 118, 3) Nicias pietor patriae suae Athenis (heu nimium piis!) nobilem tabulam donavit, necyomanteam Homeri, de qua

pictura vide Plinium N. H. XXXV cap. XI § 132, Antipatrum Anthol. IX, 792 et Plutarchum Non Posse s. v. s. Epic. c. 11 collato Silligio Catal. Artif. p. 297. Tamen non ita multo post necyomantiae non tam usus intermissus quam auctoritas et dignitas imminuta est. Quum enim ab cultu deorum ad quaestum et lucellum, ab sanctitate vatium ad magorum fraudulentiam res redisset: psychomantia sensim inrisui et ludibrio esse coepit. Adde quod post annum urbis 657 propter illud quod supra dixi senatus consultum ne magi quidem puerorum extis amplius uti et sibi constare potuerunt, sed a pueris immolandis ad sacra Necyiae Homericæ redire coacti sunt, id quod in Luciani Necyomantia factum videmus. Quam arte autem illo tempore cum magorum artibus necromantia conjuncta fuerit, imprimis imperatorum exempla ostendunt, uti Neronis, qui umbrarum inferorumque colloquiis mire deditus erat teste praeter alios Plinio N. H. XXX, 2 § 14, ut postea Caracallae, qui circa annum 216 p. C. n. insano necyiae studio mortem sibi adceleravit, ut est apud Herodianum Hist. IV, 12 et Xiphilinum ex Dione C. 77, 15. Sed jam ultimis reip. temporibus plures viri magicæ dediti memorantur, qui in psychomantia ne puerorum quidem sanguini pepercerint, ut is quem supra dixi Vatinius, ut P. Nigidius, præ caeteris autem Appius is, de quo vide Ciceronem in Quaest. Tusc. I, 16 § 57 et De Divinat. I, 58 § 132. in quo Appio magna quaedam fuit pietas et major etiam Appictas. Venio nunc ad eos, qui necromantiam reprehenderunt, id quod a patribus christianis luculentissime gravissimeque factum videmus, ut ab Lactantio Instit. Divin. II, 16 init.: necromantia et ars magica et quidquid praeterea malorum exercent homines vel palam vel occulte. Quod ad gentiles attinet, C. Plinius N. H. XXX, 1 init. magorum artes ad unam omnes execratus est. Ab necromantia vero maxima pars hominum tunc ita longe abhorruit, ut vel ei qui alia divinandi genera probassent, psychomantiam nominatim exciperent. Ita apud Marcum fratrem (De Divinat. I, 58 § 132) Quintus Cicero, cupidus ille divinationis patronus tamen non se psychomantiam agnoscere palam testatus est. Ac de Luciani aetate idem valere vel ideo credibile est, quod Marcus Antoninus magorum artes et incantamenta valde oderat, quam rem ipse Diogneto refert acceptam (De Rebus Suis I, 6 init.): imperatoris autem sui tam boni praesertim studia cives vulgo sequuntur. Quis eadem fere aetate magis superstitiosus fuit Artemidoro? Hic tamen necyomantiam discrete totam improbavit Oneir. II, 69 p. 161 ed. Hercher: ὅσα γὰρ ἂν λέγοσι — νευρομάντιες, ψευδῆ πάντα καὶ ἐν-ἀβόστατε γοῇ νομίζειν καὶ γὰρ αἱ τέχναι ἀβίων εἰσι τοιαῦται καὶ ἀβίης μὲν μαρτυρίας οὐδὲ θεῶν ἴσασι, γοητεύοντες δὲ καὶ ἐπαϊώοντες ἀποδιδοῦσιν τοὺς ἐπιτηγνόντας. Quis sub ipso Marco philosophum Artemidoro similem, L. Apulejum, eujus se defendente liber de magia adhuc superest, magiae publicae accusatum esse nescit? Eodemque tempore Celsus κατὰ μέγρον libros scripserat praecelarios, qui et ab Luciano in Alexandro c. 21 valde laudati sunt et ab S. Hippolyto in Refut. Omn. Haer. IV, 34 init. partim excerpti. Ceterum quod ad magicas artes in his ad psychomantiam attinet, apud gentiles magia et saepe vetita est et eadem semper retenta. Quo minus mirari licet, necyomantiam inrisam esse ab scriptoribus etiam satyricis, de quibus nunc dicetur. Primum Sopatri, qui parodus fuit, Νέκυια Suidas s. Σόπατρος κωμικός attulit ex Athenaeo versuum ipsorum memori IV p. 160, c: Ἰθάκος Ὀδυσσεὺς, τοῦτ' αἰ γὰρ κατὰ μέγρον, | ἀέροισιν θάλασσι, θυμὸς, e quibus verbis recte Casaubonus conclusit, Sopatri Necyiam in eodem quo Homericam argumento versatam esse. Etenim νέκυια apud Sopatrum et Menippum ut vulgo Homeri necyomantiam significat, etsi hanc vocem seniores scriptores ponunt etiam plane pro quavis necyomantia (non solum Homericæ), ut Herodianus Hist. IV, 12: μέγρον τοὺς εἰστικούς χρηθῶσαι νεκρία τε γοησάμενον — Tum Menippi cynici Νέκυια ab Diogene L. VI, 8 § 101 memoratur, quem librum Lucianus in nostro dialogo Μένιππος ἢ Νευρομαντεία iudice Casaubono (De Satyr. Poes. p. 206 ed. Ramb.) imitatus est. Certe et hic ab Luciano praeter alios philosophi quoque ridentur et ab Menippo philosophi perpetuo rideri solebant, uti non solum Diogenes l. l. paullo ante tradidit, sed imitatio Varronis e Satyris Menippeis clare demonstrat. Ac ne hoc quidem fieri potest, ut Menippi Νέκυια Luciano Dialogos Mortuorum scribenti exemplo fuerit: in quorum nullo neque in eis quidem qui Menippi cynici personam habent, psychomantiam invenias. Attamen Casaubonus l. l. non uno nomine errasse censendus est. Primum enim quod ab Menippo cynico saturas esse scriptas

negavit: hodie nemo dubitat quin nihil aliud Menippus scripserit nisi saturas. Deinde Menippus Casaubono videtur non compositos ab semet ipso versus, sed plane ut Lucianus alienos, Homeri potissimum et Euripidis parodiae causa scriptis suis intexuisse. At Lucianus haec una de causa, quod ipse poeta non esset intra parodias substituit, libenter ille suos quoque versus si posset inserturus. Nam in Bis Accusato e. 33 de se tanquam Menippi imitatore his verbis utitur: *χαῖν' ἴνα παρόμοιον ζήσομαι καὶ οὐτε πείρος εἶμι οὐτ' εἰδὼ τῶν μέτρων βέβηχα*, quae optime in satyricum suos versus inserentem, sed in meras Luciani parodias parum apte conveniunt. Itaque nullus dubito quin Menippus cynicus praeter parodias, quibus eum et ipsis usum fuisse non nego, etiam suos versus inseruerit, prorsus ut maxime quidem Varro in reliquiis saturarum, Menippearum, tum etiam Petronius suis in saturis facere consueverunt. Quae res ut dubitatione exempta sit, facit idoneus auctor male ille quidem Casaubono spretns, M. Valerius Probus in VI^m Vergili Eclogam p. 14 ed. Keil: Varro, qui est Menippeus non a magistro, cujus actas longe praecesserunt nominatus, sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine satiras suas expoliverat.

Aliquot saeculis post Menippum Lucianus eo dialogo cui *Μένιππος ἢ Νεκυμαντεία* nomen est psychomantiam facetissime perstruxit. Hunc librum ab Luciano scriptum esse vel ipsa dictio certissime ostendit, qua Lucianus et is solus neque praeter eum ullus alius scriptor usus est: quam rem eis certe quicumque elocutionis Lucianae usum callent, in oculos incurere debuissent credere. Tum quod ad ipsum libri argumentum pertinet, omnes sententiae, joca omnia et dicta Luciani ingenium planissime referunt. Quod si alius libellus qui vulgo inter Lucianeos fertur *Περὶ τῆς ἀστρολογίης* vel ideo Luciani esse nequit, quod in eo astrologia strenue defensa est: sequitur Necyomantiam etiam propterea Luciano dignam esse, primum quod e genere est satyrico et secundum Casaubonum ex ipso ducta Menippo, tum quod magorum artes traducuntur, quas ipsas quum alibi saepe tum maxime in Philopseude Lucianus inrisit, denique quod forma quoque hujus saturae Luciani ingenio unice respondet. Nam praeterquam quod primaria in hoc dialogo sicut in aliis Lucianeis persona est Menippi, qui ut vivus vidensque solebat hic philosophos quoque castigat: Menippus ut in suis ipsis saturis hic primum versibus utitur ex Euripide et Homero detortis. Neque illud omittendum est, Necyomantiam ab his ipsis parodiis exordiri, uti prorsus aliae Luciani saturae, *Piscator* et *Jupiter Tragoedus* exordiantur. Jam quo anno Necyomantiam Lucianus ediderit, ex e. 10 perspicuum est, ubi de recens mortuorum nubris haec exstant: *τοιαυταῖα δὲ πάντες ἐπιπέλοιν — ἐκ τινος πολέμου παρόντες*. Bellum enim dicit Parthicum, quod quum per quadriennium a. 162 — 165 gestum sit: sequitur Necyomantiam anno 163 vel 164 P. C. X. scriptam esse. Et hoc quidem Solanus infitiri ausus non est, qui: *si, inquit, Lucianeus sit hic dialogus, scriptum oportuit anno C. 163*. Nempe paullo ante Necyomantiam hos duo dialogos: *Εἰδῶνες* et *Ταῖς τῶν εἰδῶνων*, paullo post autem hunc librum sane egregium: *Πῶς δαὶ ἱστορίαν συγγράψαι* Lucianus noster edidit. Qui quum in dialogo *Εἰδῶνες* ab Vero imperatore gratiam inire frustra studisset, mox Necyomantia edita in potentes (e. 17 collato e. 13) acerbè invectus est. Nunc aliud idque prope certum temporis indicium ipse exponam. Psychomantis magus in Necyomantia utpote aequalis (vivi autem nominatim in ludere per leges non licebat), falso nomine et eo Persico ille quidem *Μιθροβουζάρης* dicitur, sed idem describitur clarissime. Atqui cum magum, qui in Philopseude non magis nominatur sed describitur tantum, scholiastes ad Philops. e. 12 init. praeclare vidit dictum esse Julianum: quem majorem fuisse Julianum patrem minoris item magi post Lobeckium in Aglaoph. p. 100 ego ad Philops. e. 12 p. 113 et imprimis e. 16 p. 118 certo demonstravi. Hic igitur Julianus pater in Philopseude et *Babylonius* dicitur et *Chaldaeus* e. 11: *ἀνδρα Βαβυλώνιον τῶν Χαλδαίων — ἔχειν ὁ Βαβυλώνιος* et partim ibidem e. 12 fin. Nempe ut filius cognomen habuit *ὁ θεουπόρος*, ita pater Julianus cognomine dictus est *ὁ Χαλδαῖος*, de qua re confer Suidan s. *Ιουλιανὸς ὁ Χαλδαῖος φιλόσοφος* et quae alia ad Philops. e. 16 p. 118 ego collegi. Nunc vide mihi et cum Philopseude compara haec Necyomantiae e. 6: *ἔδοξεν ἐς Βαβυλώνα εἰδῶνια δευθῆναι τινος τῶν μάγων — εἴταρον εἰδῶ Βαβυλώνιος. εἰδῶν δὲ συγγράμοι τι τῶν Χαλδαίων —*

quo I. minime (ut Hemsterhusio visum est) magi Persae et chaldaei Assyrii male confusi sunt. Immo etiam in Necyomantia Julianus pater, qui magus cognomen habuit ὁ Χαλδαῖος sive ὁ Βαβυλωνίος, unice describitur. Ille Julianus pater jam tum senex fuit, ut e Necyomant. c. 6: πολλῶν μὲν τῶν χρόνων apparet. Atqui Julianus pater eo ipso anno 163, quo Necyomantia scripta est, certissime senex fuit, siquidem Suidas s. *Ἰουλιανός* Julianum prioris filium sub Marco Antonino vixisse perspicue tradidit. Ceterum idem cognomen est ὁ Χαλδαῖος et ὁ Βαβυλωνίος. Nam 'Babylonii' (qui vulgo astrologi et genethliaci dicuntur velut ab Cie. De Divinat. I, 19 § 36) plerumque eidem 'Chaldaei' adpellantur, ut ab Lucretio De Rer. Nat. V, 727 (de Beroso): 'Babylonica Chaldaicum doctrina', raro utriusque magi, Babylonii et Chaldaei paullum inter se differre traduntur ut ab Hippolyto Refut. Omn. Haer. X, 1 p. 494 ed. Schneidew. Quodsi in Necyomantia Juliano majori (c. 6: σοφῶ ἀνδρῶ καὶ θεοπισθίῳ τῶν ἀρχόντων) inclusum est, sequitur Necyomantiam Dialogis Mortuorum valde esse dissimilem: in quorum dialogorum nullo aut Julianus ridetur aut alius Juliano duce ad inferos descendit. Quod superest, neque in scholiis vulgatis neque in codd., qui exstant plurimi, litera ulla invenitur, ex qua de Luciano Necyomantiae scriptore dubitatum esse conicias. Primus autem (ad Necyom. c. 1) nescio quid odiosi scrupuli Solanus iniecit, qui, ob multa critico illo naso non satis digna ita addubitavit, ut hoc opusculum, si genuinum sit, ab juniore Luciano compositum vellet. Ita idem Solanus id Luciani esse nunc negat nunc parum constanter affirmat: quod si modo constat ipsius esse Luciani, quanta laude dignum sit, novae curae est quaerere et ab nostro proposito alienae. At Solanus dum laudabilia reprehendit, Lucianum non sensit negligentiam suam ipsum fateri c. 19: πέμπου ἀπειληθήσῃ τοῦ λόγου. Contra in eo, quod hic unice agendum erat, ut hunc librum ab Luciano abjudicandum esse doceret, ubique Solanus dormitavit et hallucinatus est, Luciani ille *Νεκρομαντείας* in ipsius Menippi *Νίζυων* ausus transformare: quasi ut Lucianus Menippi, ita etiam Menippus Luciani esse imitator potuerit. Sed Solanum quum Hemsterhusius optime ille quidem Lucianum agnoscens erroris convicerit: miror fuisse, qui erranti Solano quam Hemsterhusio errorem refutanti adsentiri mallent, velut Belinus et Schmieder, cujus verba haec sunt: non immerito dubitarunt, utrum hic liber genuinus sit neene.' Nam Wielandus qui (Vol. II. p. 357 sqq.) et ipse dubitavit, et qui Luciano Necyomantiam ereptam voluit Lehmannus et opiniones suas defendisse viderentur, aliquid tamen ipsi adjeecerunt. Quamquam Lehmanni ipsius additamenta, quae vel scriptura falsa vel mala explicatio vel alius error progenit, non modo refutatione sed ne mentione quidem digna esse censeo. Nam quod Lehmannus contendit, scriptorem idem paene eadem via in hac Necyomantia et in Icaromenippo secutum esse et utriusque hujus libelli eandem prorsus esse naturam, eandem faciem: id et ab Wielandio adsumptum et ne vere quidem judicatum est. Immo per totum Icaromenippum soli ridetur philosophi: at in Necyomantia (ut de ipsa psychomantia tacem) primo loco divites et potentes et secundum hos demum philosophi traduntur. Deinde cum Wielandio Lehmannus Tiresiam vatem c. 21 utile praeceptum dedisse, non praedixisse futura miratur, oblitus uterque vel Horati Sermon. II, 5, 2 sqq. Wielandus autem, qui (II. p. 358) Luciani ingenium in Necyomantia non ille quidem ubique sed tamen saepenumero desideravit, nimium male (ibidem p. 360) opinatus est psychomantiam in hoc libello dilaudari, quae potius hic lepidissime derisa est. Sed Wielandus ratiunculis suis ipse merito diffusus Necyomantiam, utrum Lucianea sit neene, ad extremum in medio reliquit. Enimvero Solanus, Wielandus et Lehmannus hanc saturam in potentes divitesque potissimum scriptam esse usque eo oblitus sunt, ut potentium insatiatione (c. 17) offenderentur et Philippum e rege sutorem veteramentarium indigne ferrent. Quanto melius Hemsterhusius judicavit se compertum non habere, an Philippo tam vile opificium certa quadam ratione tribuatur, scholiastae tamen conjecturam non ineptam esse neque abhorrentem. Equidem jam in adnotatione ad b. I. demonstravi, quae c. 17 insunt ea ipsius Luciani ingenio esse dignissima. Tum Hemsterhusius ad c. 14 Solano de frigore orationis nescio quo querenti optime se opposuit: frigide enim aut languide in Necyomantia nihil omnino dictum esse scito. Quum igitur Necyomantia certo sit Luciani, tempus est quaerere, equaenam res mirificam istam dubitationem de vero Necyomantiae scriptore

peperit. Nempe Lucianus omnino semet ipse exseribit suaque nimis crebro repetit et eadem fere ubique inculcat. Quae repetitio quum in M. Tullio Cicerone ad scribendi genus pertineat, ad argumentum in Q. Horati Flacci odis, perpetuis quibusdam querelis de rerum humanarum vanitate: eadem in Luciano multo patet latius. Qui in tot saturis nunc in philosophis nunc in rhetoras nunc in divites potentesque nunc in deos gentilium scriptis easdem ubique rationes iterat, eodem dicendi genere utitur, easdem metaphoras, comparationes, imagines, postremo saepe etiam eadem verba de eadem re semel et iterum non dubitat repetere. Hoc adeo partim negligentia quadam accidit, quod Lucianus quum diu scribendo victum quaerere coactus esset, tam multa scripsit ediditque (*γίγνεται αὐτῷ ἄπειρα*, Suidas s. *Λοκκαῖος*), partim minore eruditionis doctrinaeque copia, quod vir natione Syrus primum vitae potius prodesse quam literis voluit atque ex Icto et caesidico aliquandiu rhetor, e rhetore rursus exstitit satyricus neque semper operam literis graecis navare potuit. Has igitur repetitiones, praeclearum quoddam certae emendationis instrumentum omnes fere editores neglexerunt, Solanus tamen in sola fere Neevomantia re fortuita admonitus non neglexit. Nam in editionibus (in codicibus partim non item) Mortuorum Dialogi et Neevomantia, in quibus partim eadem repetita esse haud sane mirum est, continuo ordine se excipiunt. Hinc ita scripsit Solanus ad Neevom. I: „Ut demus non fugisse cum in Dialogis Mortuorum jam saepius dicta repetere, errans ille hic etiam in eo, quod Dialogos Mortuorum post Neevomantiam demum ab Luciano scriptos esse non vidit. Ex his sequitur, repetitiones illas in omnes omnino Luciani satiras cadere, ita ut ob hanc quidem causam aut plerique etiam alii libri aut ne Neevomantia quidem ab Luciano abjudicari debeat. Atqui hoc ipso argumento ab repetitionibus ducto Solanus et Lehmannus si non solo, at uno omnium maxime nituntur eodemque mire abuti videas etiam Wielandium, cui uni tamen (II. p. 357 et p. 360) repetitiones illae partim in mentem redierunt. At hoc quidem argumentum non dico nullum esse, hoc dico vim habere plane contrariam. Quum enim Lucianus hisce repetitionibus ubique utatur, certe Neevomantiam ipsius Luciani esse etiam ex eo sequitur, quod ab Neevomantia perpetuae illae repetitiones non absunt. Hoc unus ac praeter caeteros Hemsterhusius eximie vidit, qui ita scripserit ad e. 2 fin.: „similiter, ut Lucianum agnosceas, in Tim. § 13^e et ut Solani opinionem de scriptore Neevomantiae ignoto refutaret, plures etiam repetitiones memoravit, ut ad e. 3 init.: „iisdem paene verbis leguntur in Charon. e. 2^e. Quae quum ita sint, nihil certius esse potest, quam Neevomantiam ab ipso profectam esse Luciano. Quem librum qui aliis tribuere ausi sunt Solanus, Wielandius et Lehmannus non modo non id quod ipsi voluerant, sed contrarium vel inviti demonstrarunt et hoc unum exemplo suo docuerunt, quae via in tali tanque impedita quaestione omnibus longe fugienda sit. Sciens autem alios quosdam omitto, qui ab Solano decepti de Neevomantiae scriptore et ipsi verbo dubitarunt, veluti G. Wetzelarum (De aetate et vita Luc. p. 26). Non possum tamen, quin de Fr. Jacobsio, viro egregio, corollarii loco aliquid adiciam. Qui (in Append. ad Porson. Advers. p. 288 a. 1814) et dialogum mortuorum XX^{um} Neevomantiae argumento ut putat similem Luciano minime dignum esse ait sed ex ejus laciniis ab imitatore compositum, neque dialogos mortuorum XXVI. XXVII. XXVIII hujus scriptoris esse, non magis ac Neevomantiam. Quod si sola repetitione offensus est, debuit aut sienti Solanus fecit unam Neevomantiam aut unum dialogum mort. XX ab Luciano abjudicare, non utrumque: quo facto ille Luciano ne ea quidem quae semel diceret reliquit. Tum de imitatoribus Luciani ne Dindorfius quidem nuper (ad Lucian. vol. I p. IX) satis recte statuit. Primus autem Solanus (ad Neevom. e. 1) multo ante Wielandium (T. II p. 331) et ante Lehmannum (ad Nec. e. 1 init.) „imitatorem“ nescio quem Luciani exstitisse finxit, qui eis Neevomantiam conscripsisse videtur. Postea is qui Wielandium discrete nominat, C. B. Hasius (in Notices et Extraits vol. 9 p. 128 a. 1813) ab imitatoribus Luciani opera adulterina dicit profecta esse, ut „Haleyoni“. At tantum abest, ut opera ista imitatoribus deberi possint, ut Lucianicis sint dissimillima, velut ille ipse *Μετμορφ.*, in quo dialogo res Luciano invisae, metamorphoses defensae sunt. Uno anno post imitator iste Luciani ab Solano procreatus, eductus ab Hasio jam conjectore Jacobsio adeo se virum praestitit, ut ipse et Neevomantiam et quatuor alios dialogos procreare posset. Nuper vero „Toxaris“ eodem modo

natus est, nempe ab imitatore Luciani, si modo Js. Guttentagium (De subdito — Toxaride⁶ p. 35 seq.) solum audias. At enim veros Luciani imitatores novimus potissimum Byzantinos, qui ad hanc causam minime pertinent. Quis enim potest esse tam aversus a vero tanque praeceps, ut Necoymantiam saeculo XII vel XIV demum scriptam esse opinetur? Ac de Byzantinis Necoymantiae ipsius imitatoribus, qui partim adhuc exstant, Hasius ipse disseruit (l. I. p. 131—246), quorum unus saec. XII dialogum nomine *Ἰακωβίου* scripsit, quem dialogum Hasius integrum edidit, alius (Mazarius?) saec. XV dialogum barbarum, ejus argumentum Hasius exposuit: *Ἰακωβίου νεοκωμίας ἐπιδημία Μάζαρι* (sic) *ἐν ἕδω* et sic porro, de alio prorsus tacere praestat. Attamen alia Hasius addere et ea meliora potuit, velut Theodori Prodromi *Βίον Ἠοῶσιν*, qui dialogus e Lucianeo ejusdem nominis dialogo expressus erat, ut ad Vit. Auct. c. 1 diximus. Itaque Theodorum Prodromum aliosque Byzantinos sane adparet Lucianum naviter imitatos esse. Et ab eisdem viris scholiorum Lucianeorum partem meliorem profectam esse confirmo: quam rem neque alii neque Cobetus (in Varr. Lect. p. 212) animadverterunt.

Vos nunc volo, Commilitones. Modo in hac urbe antiqua, florente, Megapolitanis pereara praesente Principe Carissimo Ipso, praesente Coniuge Principis Excelsa jucundissimi dies, tanquam testes quidam verae humanitatis ac mutui amoris transacti sunt, ejus temporis memoriam ex animis nostris nulla delebit oblivio. Quod restat, Deum O. M. pie precamur, ut hos animorum sensus intimos cum magno bono patriae universae esse jubeat sempiternos, neque amoris illius mutui vincula aut lente dissolvi aut violente discindi unquam patiatur. Proinde etiam posthaec ita nos geremus, quasi Princeps Ipse praesens nobis intersit, et quoniam nihil agere mens humana non potest, nostrum negotium agemus animumque ad literas revocabimus, quarum Princeps Ipse fautor semper fuit eritque. Quo facto ex his qui modo effluerunt diebus diutinos fructus percipiemus bonis illis artibus unice intenti, quas ut pereolamus cultasque ad usum vitae traducamus, maxime quidem nostra ipsorum, tum etiam Principis Optimi communisque patriae interest. Dabam in Academia Rostochiensi Nonis Sextilibus a. MDCCCLXIV.

File 8-5-68

PA Fritzsche, Franz Volkmar
4230 De Necyomantia dialogo
M4F75 Luciani genuino

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

